

vos perpetuo muniat honoremque vobis collatum in moribus servare concedat. Clericum nostrum tantum in fidem et gratiam vestram, quam intime possumus, vobis commendamus.

[D] Sanctę Moguntinę ecclesię venerabili archiepiscopo³⁵ et apostolicę sedis legato, patri et domino humilis illa Babenbergensis ecclesia tam voluntariam quam debitam obedientiam cum devoti obsequii et orationum iugi exhibitione. *Beati pacifici*, ait salvator in evangelio, *quoniam filii dei vocabuntur*³⁶. In qua nimirum beatitudine vos quoque inter filios dei ascribi confidimus gratias agentes deo, qui nobis pium votum pro pace et unitate ecclesię preveniendo inspiravit et adiuvando ad effectum perduxit salutarem. Vestra quippe industria, vestris precipue consiliis, vestris, inquam, laboribus plurimis prisci erroris scandala dei gratia evacuata sunt, ecclesię membra ante dispersa unum in Christo sapiunt, regnum in se ipsum prius divisum fovet concordiam, amplectitur pacem. Proinde quia catholicę ecclesię pacem prestistis divina vobis inspirante et cooperante clementia, speciali quoque fide filie, videlicet Babenbergensis ecclesię, pro dei amore et iure primatus vestri, iure, inquam, paternitatis pacem parare debetis. Iam pridem vobis conquerebamur super H. de N. milite vestro ac subdito, qui bona ecclesię nostrę sita in N. et in aliis adiacentibus locis contra ius et fas sibi tyrannice et iam longo tempore usurpat in iniuriam dei omnipotentis, in iniuriam beati Petri et sancti Georii patroni nostri, in iniuriam quoque vestre dignitatis, in cuius regimine et subiectione ausu nefario talia perpetrare audet. Sed sive peccatis nostris exigentibus sive propter cottidianam sollicitudinem vestram pro ecclesia et assiduas occupationes in regni negociis per vestram prudentiam dei gratia bene et honeste dispositis ac disponendis nullam adhuc iusticiam sumus consecuti. Iterum ergo ad paternitatem vestram recurrimus, tantum gratie vestre auxilium humiliter imploramus, ut iusticiam nobis faciatis pro dei amore et sincere illius devotionis et non fictę dilectionis, quam dominus noster episcopus semper erga vos habuit ex animo. Prefatus N. quandam conventionem nobiscum aliquando fecit, quam et iuramento confirmavit, sed statim eam proh dolor contra salutem animę suę prevaricatus est postposito omni pudore, postposito dei timore, cuius heu sanctissimum nomen in vanum assumpsit. Huius conventionis carta apud nos sub sigillo reposita est, cuius exemplar paternitati

35) Erzbischof Adalbert I. von Mainz (1109–1137), der seit 1119 den Titel apostolice sedis legatus führte.

36) *Matth. 5, 9.*